



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Fidei

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

cæteris egeo, quanto infirmior sum & impotentior. Extingue in me omnia terrena desideria, & ignem tui amoris accende. Dirige me in veritate tua, & da finalem perseverantiam, Per Christum Filium tuum, cui tecum & cum Spiritu sancto est laus & honor in sæcula sæculorum. Amen.

§. XII. *Actus diversarum virtutum ante Missam.*

F I D E I.

Quis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quæ oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animæ meæ? O venæ salientes in vitam æternam, effundite super me aquam gratiæ, quæ sitim meam satiet, ut gaudio repletus, & fide viva imbutus exclamem cum Thoma Apostolo, *Deus meus & Dominus meus*. Credo enim firmissima fide te in augustissimo sacramento corporis & sanguinis tui verè præsentem esse Deum meum, & Dominum meum; & pro hac assertionem millies mori paratus sum. Credo inquam quod in hoc sacramento corpus tuum gloriosissimum verè adest, sole splendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulcritudine, majestate, qua in cælo existit, & qua nulla major concipi potest. Ibidem est sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est anima omni gratia & sapientia plena, in qua sunt omnes thesauri virtutum & scientiæ Dei. Ibi denique latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia: & quia tu in Patre, & Pater in te est, adest etiam Pater te Verbum suum generans; adest & Spiritus sanctus utriusque nexus & amor. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum, hoc summum prodigium omnium creaturarum mentium captum excedens

Pp ij

hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

S P E I.

IN te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim aude- rem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confi- sus accedo ad te, ut ovis morbida ad Pastorem, ut infir- mus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corroboret & sanes. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ, nam licet pec- cata mea plurima & gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura & graviora forent, si cum misericordia tua, & pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposta est to- ta fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me sit, in quo possim confidere. Miserere mei, & salva me, qui nun- quam deseris sperantes in te.

C H A R I T A T I S.

OQuanta vis amoris cor tuum succendit, Amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis! Grande quidem fuit & admi- rabile opus amoris tui, quod naturam nostram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quod corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hac dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota mente,